



Nr. 60. 3.

Q. B. F. F. F. Q. I. E. D.

PRAEMISSA

ALIQVOT HOSEAEE PROPHETAE
LOCORVM EXPOSITIONE

CAERIMONIAS SOLLEMNES

HERMANNI GOTTLIEB
HORNSCHVCHI

IN ILL. GYMNAS. CASIMIR. ACADEM. PHYSIC
ET MEDIC. P. P. O

FORTVNANTE DEO T. O. M

A. D. XXIII. NOVEMBR. MDCCCLXXV

FELICITER IN AVGVRANDI

INDICIT

IO. CASIMIRVS HAPPACH

SER. DVC. SAX. COBVRG. ET SAALF. A CONSIL. SANCTIOR
ILL. GYMNAS. CASIMIR. ACAD. DIR. ET THEOL. P. P. O

a.

COBVRGI
EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA

KENFRIED
UNIVERS.
ZV HALIE



§ I.

Instituti ratio explicatur.

Hoseae oracula quum nuper cum diligentioribus quibusdam Gymnasi nostri ciuibus perlegeremus, incidimus in loca quaedam quae vel per se essent obscuriora, vel quibus nouae offunderentur tenebrae ab interpretibus, quae ergo novae lucis clariorisque egerent interpretationis, ex quibus nunc quae-dam decerpemus, et quantum fieri potest illustrabimus. Hoc enim tempore periculosisimo, quo grauissima sanctissimae nostrae religionis capita a domesticis eoque pernicio-sioribus oppugnantur hostibus, nihil antiquius cordato esse debet theologo, quam studio linguarum, rerum, con-suetudinum historiarumque antiquarum codicem iuvare sa-crum, vt iusta eius interpretatio magis magisque demon-stretur et stabiliatur. Nos quidem quam longissime absu-mus ab illorum nouatorum turba, qui ope solius philos-o-phiae plurimas nouas in omni theologiae ambitu reperisse sibi videntur doctrinas, ac propterea omne linguarum ve-tustiorum ac reliquae antiquitatis contemnunt studium: il-lud tamen non negamus, quam plurima noua supereesse de-tegenda in ipso codice sacro eiusque explicatione, haud ve-ro ea, quae philosophia cupit sibi relicta, si eam solam du-cem

cem sequaris, quae salutis nostrae fundamenta euertant, sed talia quae idiomate linguarum antiquarum rerumque gestarum nitantur memoria, in quibus philosophia non tanquam magistra et domina, sed ut fidelis adhibetur ministris, quae nihil quicquam suo mutet arbitratu, sed res a scriptura sacra suppeditatas bene ordinet, suoque collocet loco; quibus deinde efficiatur, ut naturalis et simplex distinctionis sacrae veritas ac pulchritudo clarior identidem exsplendescat atque illustrior, illaque salutis nostrae fundamenta altius subinde agantur magisque confirmantur. Putamus vero neque in codicis sacri explicatione, neque in thesibus theologicis inde ducendis noua anxie esse quaerenda, neque tamen, si qua sponte se offerant atque ultro, quae cum reliqua doctrina sanctiori conueniant eamque illustrent, eadem nimis morose esse repudianda. Neque saeculo in interpretatione oraculorum diuinorum aut in explicatione sanctioris doctrinae nimis multa sunt danda, illud enim nihil aliud esset, nisi cum errantibus errare, si verbi causa ipsas verbi diuini sententias ad gustum saeculi nostri mutare audeas. Hoc modo dari debet saeculo, ut sermo adhibetur in quibusunque rebus proponendis usitatus, ac via et ratio hominibus nostris accommodata ac perspicua. Hac igitur norma usi atque regula modeste nostras quorundam Hoseae effatorum explications proponemus, et si quando a sententia celeberrimorum codicis sacri interpretum discedamus, illud iidem eo facilius patientur, quo magis vniuersiusque nostrum intereft, ut verbi diuini intellectus quam fieri potest clarissime exponatur, atque ab omnibus percipiatur.

§ II.

Explicatur Hos. 1, 2.

Hos. 1, 2 sic veritus: *Quum primum loqueretur Iehouah cum Hosea, edixit Iehouah Hoseae, age, vxorem duci tibi*

*tibi scortum et spurios, nam fornicatione adfueuit plebs, re-
ligio Iehouah.* Vir S. R. Dathius quidem istam nobis dedit
translationem: "Principio Ioua Hoseam his verbis est al-
"locutus: Abi, duc vxorem meretricem, liberos geniturus
"meretricios: sic enim populus iste pro casto mei amore
"alios Deos amore impuro prosequitur." Recte quidem
improbatur Iudeorum incongrua explicatio, qui omnia
haec nunquam a propheta facta, sed translate modo intel-
ligenda esse volunt: neque tamen illa Deo affingenda sunt
edicta quae sine virtutis legumque diuinarum violatione per-
agi nunquam potuissent. Deus ergo haud iussit propheta-
tam ducto in matrimonium scorto concedere, vt meretrix
datam sibi fidem violaret et cum aliis rem haberet, sed illud
potius praecepit, vt eandem cum liberis, quos antea pepe-
risset, spuriis domum suam reciperet, castoque illam sibi
iungeret connubio. Docendi enim erant hac prophetae
actione Israëlitae, redditum ad indulgentiam diuinam nun-
quam non ipsis patere, ac futurum esse, vt ipsis idolatriae
peccata continuo remitteret Deus, quum primum ex animo
resipiscerent. Neque peccauit propheta scortum habens
in matrimonio, tali enim coniugio frui, solis interdictum
erat sacerdotibus: voluit potius Deus, vt Hoseas insigne da-
ret patientiae suae specimen, eaque re diuinæ illius in to-
lerandis Israëlitis adumbraret magnitudinem. *Liberis for-
nicationum autem haud necessario eos significari, quos ipse
propheta procrearet, vt opinatus est Theodoreetus, scri-
bens: ο Δευτόπτης -- ἐκέλευσέ με -- τένα πορνείας παιδοποίος,
Dominus me iussit, filios fornicationis gignere: sed illos etiam
posse intelligi, quos scortum antea peperisset iam vidit Hiero-
nymus ad hunc locum scribens: "Vtrumque potest in-
telligi, quod et fornicariae priores de fornicatione susce-
"ptos recipiat filios, et ipse ex meretrice generet filios, qui
"idcirco fornicationis appellandi sunt filii, quod sunt de me-
"retrice generati. Nec culpandus propheta interim, vt se-*

“quamur historiam, si meretricem conuerterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit. “Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo, sed qui malus est in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus, non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariae copulatum, sed forniciam assumisse pudicitiam, quam antea non habebat. “Nos quidem credimus cum Hieronymo, animum scorti emendatum esse atque correctum, sed num liberi legitimo matrimonio geniti, quamvis ex muliere antea prostituti pudoris nati, liberi fornicationum possint appellari, de ea re valde dubitamus. Spurii ergo illi sunt liberi ante connubium cum Hosea ex scorto illo nati, atque a nouo marito una cum matre recepti. Legitimos certe putatos esse ab Hosea liberos a se prognatos elucet in versu sequenti, quem nos sic conuertimus: *Et animum induxit, iungere sibi matrimonio Gomeram, filiam Diblaimi, et concepit, et peperit ipsi (ergo non aliis) filium.*

§ III.

Glassiana interpretatio loci huius confutatur.

Glassius quidem cuius Philologia S. multis in locis maiores requirit curas ac plurimas exspectat emendationes, p. 785 f. de hoc arguento sic commentatur: “Meretricem in ipso matrimonio scortatam putant— Huic expositioni fauet 1. Textus perspicuitas— 2. Repetitio praecepti “3, 1 ff.— 3. Scopus et intentio Dei.” Cui Glassianae opinioni in notis translationi adiectis assentitur Vir S. R. Dathius. Sed contextam orationem et scopum Dei omnia alia suadere in antecedentibus iam a nobis est demonstratum. Repetitio vero praecepti cap. 3, 1, itidem est ementita, quem locum nos sic vertimus: *Porro edixit mihi Iehouah, age, iterum ama mulierem meretricem atque adulteram, ut adumbre-*

umbretur amor Iehouae erga Israélitas, quanquam iudicem
 suscipiunt Deos alienos, atque viuarum amant coronas. Mer-
 trix enim atque adultera quam hic commemorat, alia pla-
 ne est mulier ac diuersa ab illa, cuius mentionem fecerat
 propheta 1, 2, quam iussu Dei duxerat, cuiusque animus
 emendatus erat atque correctus. In qua explicatione con-
 sentit nobis Hieronymus adscribens: "Priori mulieri in ty-
 pum decem tribuum — propheta coniungitur — hic iu-
 "betur, vt adhuc diligit adulteram mulierem. — Ergo
 "quod propheta diligit adulteram, et tamen non ei matri-
 "monio copulatur, nec fornicatione coniungitur, sed tan-
 "tum diligit delinquentem, typus Dei est, qui filios Israël
 "pessimos diligit." Quum igitur de Gomera, filia Diblai-
 mi cap. 1, 2 commemorata haud narretur, eam in pristini-
 nam recidisse lasciuiam, aut priores eosque vetitos secta-
 tam esse amores, ea autem quae inde a cap. 2, 4 proponun-
 tur, non ad vxorem prophetae sed ad populum Israéliti-
 cum pertineant: in ipsa contexta oratione clarissime elucet,
 in hoc loco de alia muliere sermonem esse, eaque non tan-
 tum scortante, sed etiam adulteria committente, quam pro-
 pheta non in matrimonium ducat, sed eidem modo, si ad
 frugem redire, omnibusque pristinis amatoribus omniisque
 dedecore se abstinere velit, connubium promittat. Nam cap.
 3, 3, cuius ultima verba Vir S. R. Dathius sic transfert:
 "nec ego te habeam: " nos hoc modo conuertimus: *Ac*
proposui illi, per annos plurimos habitabis mecum, non scor-
taberis, neque habebis quenquam, postea (id est praeterlapsis
 plurimiis annis) *equidem te habebo (vxorem).* Copulam 1
 postea significare iam a nobis monitum est in Bethsem. Clad.
 Noua Explic. P. 3 p. 5. Quod si hanc sequaris interpreta-
 tionem, res ipsa, quae segmentis sequentibus 4. et 5. pro-
 ponitur, atque imagine adulterae exprimitur, cum hac optime
 conspirabit. Etenim negandi particulam in eadem oratio-
 nis serie posse subaudiri, id quod Vir S. R. Dathius in hoc
 loco

VIII

loco fieri opinatur, idoneis vix demonstrari potest exemplis. Vid. Conatus nostri Translat. Biblior. emendandi, p. 30, vbi Pl. 9, 19 adiungere poteris Hof. II, 5.

§ IV.

Expositio Hof. 3, 1, in primis ultimorum huius segmenti verborum.

Sed in loco illo, quem modo allegauimus, Hof. 3, 1 ultima praesertim verba vberioris egent explicationis. Ista sunt: **וְאַחֲרֵי אֲשֶׁר** *atque uarum amant coronas.* Omnia hic redeunt ad significatum vocabuli **אֲשֶׁר** **אֲשֶׁר** **אֲשֶׁר** quorum illud bis, videlicet praeter nostrum locum Ies. 16, 7, hoc autem ter, 2 Sam. 6, 19, Cant. 2, 5 et 1 Paral. 16, 3 in codice sacro reperitur. Vtrumque ex nostra quidem sententia est 1) *Herba luxurians, vinca*, qua significatione hoc vocabulum Cant. 2, 5 legitur. 2) *Corona, corolla* siue *thyrsus vinctus herbis aut floribus*, qui ultimus significatus in nostro reliquisque adhibendus esse videtur locis. Intelligo igitur in nostro loco *coronam plexam*, siue *herbis floribus colligatam*, *coronam gramineam*, haud vero illam *gramineam* Romanorum, quae et *obsidionalis* dicitur, de qua Plin. H. N. 22 c. 3 agit, sed illud corollarum genus, quod tanquam laetitiae publicae signum, veteres in sacrificiis atque conuuiis crebro adhibuisse, res est notissima, quae demonstratione non egeat. De aptis ad coronas necendas floribus et herbis consulatur Plin. H. N. 21 tot. At quid sibi volunt *coronae uarum?* Coronas intelligo herbis quidem nexas, sed vuuis pampinisque distinctas. In Bacchi praesertim sacris cingebant *viridi tempora* pampino. Vid. Hor. Carm. 3, 25, 20. *Vittas pampineas* memorat Val. Flacc. 5, 79. Sic ante aliquot annos in veteri oppido Campaniae, Pompeiis, non procul Puteolis et Neapoli sitis reperta est Bacchi statua tres palmos et nouem pollices alta, *hedera*

hedera vuisque coronata, vt in diurnis relatum legimus. Plures eiusmodi statuas non tantum hedera vuisque coronatas, sed etiam vuas manibus tenentes videre licet apud Montefalcon. Antiquit. Explanat. T. I. P. II. c. XII. Tab. CXLIV ff. p. 232 ff. Bacchus pampinis coronatus, qui finistra tenet baculum foliis vitis vuaque circumdate vid. ibid. cap. XV. § III. Tab. CLI. p. 239.

§ V.

Coronas vuarum Hos. 3, 1 commemorari, demonstratur contexta oratione atque aliis codicis sacri locis.

De eiusmodi coronis vuarum hic sermonem esse, variis facile demonstrari potest argumentis, primo contexta oratione atque ipso codice sacro, deinde veterum quorundam interpretum consensu, tum cognatarum dialektorum convenientia ac tandem incommodis atque incongruis reliquarum interpretationum rationibus. Primo de coronis vuarum hic sermonem esse demonstrari potest contexta oratione atque ipso codice sacro. Nam eiusdem capituli in segmento quarto Dei alumni, id est Bacchi custos famulusque cuius Horatius Art. Poët. 239, mentionem facit, et Satyri senes, qui itidem erant Sileni, appellantur, quem verum Vir S. R. Dathius quidem sic transtulit: "Etenim "diu Israëlitae sine rege, sine duce, sine sacrificiis, sine si- "mulacris, sine Ephod et Teraphim erunt: " nos autem sic conuertimus: *Nam per annos plurimos versabuntur Israëli- tae absque rege et tyranno*, id est sine domestico et peregrino magistratu, *sine sacrificiis et signis*, *sine amiculo summi sacerdotis ex lana hyacinthina, purpurea et coccinea con- textu*, *et Silenis*, id est; *sine cultu veri Dei atque idolorum*. Silenus enim ab Arab. ﺲِلَنْ delicatest laetusque vixit est di- catus, de quo Virgil. Eclog. 6, 13 ff. canit:

B

Chro-

Chromis et Mnasylus in antro

Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.

Teraphis autem Silenos indicari iam ostendit Vir Ill. I. D. Michaëlis in Commentt. Soc. Reg. Scient. Gottingens. oblatis, Comment. I. Ex his facile colligi potest, Beelphegorem, idolum illud Moabitarum cum Baccho esse conferendum, praesertim quum Hos. 9, 10, vbi idolum ilud commemoratur, etiam vuarum mentio fiat, quem locum sic conuertimus : *Tanquam vuas in solitudine inueni Israëlitas, at tanquam primitiis fucus et primitiis eiusdem delectatus sum maioribus vestris, nam illi intrarunt ad Beelphegorem ut ini tiarentur sacris pudendis, ut existent detestabiles, sicut amor ipforum.* Vir S. R. Dathius quidem ad verba: "Ut vuas in deserto inueni Israëlitas", adscribit ista: "Sicut peregrinator valde laetatur, si forte vuas in deserto inuenit, sic Deus cum primum populi sui ductum suscepisset, laetabatur." Nos vero putamus verbis illis, *Tanquam vuas in solitudine inueni Israëlitas*, non approbationem diuinam sed infelicitatis contineri descriptionem, quam sibi Israëlitae cultu Beelphegoris conciliassent, collata insigni suorum maiorum felicitate, quos instar ficuum frugiferum tueretur Deus, atque adiuncta causa infelicitatis Israëlitarum, qui Beelphegorem sequerentur. Vuas enim in solitudine crescentes ac vites ibidem plantatae neque circumseptae neque maceriis munitae, omnibus omnium hominum et ferarum iniuriis sunt expositae, a quibus facile diripiuntur atque eruantur, de qua re querelas habemus auctoris Psalmi LXXX, 13. 14, coll. Hos. 2, 14. In illa autem infelicitatis descriptione ab vuis ductum est simile, quia in sacrificiis et conuiuis Beelphegoris pampiris vuisque coronaabantur. Neque a nobis longe discedit Hieronymus ad h. l. de Beelphegore adscribens, quem nos Priapum possimus

mus appellare, erat enim is, teste Seruio ad Georg. 4, 111, *Dionysi* sive *Bacchi* ac *Veneris filius*. Sunt etiam viri docti qui dicant, eundem esse Priapum et Bacchum, quod ex vocabuli ratione ac veritate probari possit, πενίτον enim esse quasi βενίκινον, clamosum, propter eos qui in pocolis immoderatis et bacchationibus edantur clamores. Alias quoque Israëlitis exprobrantur in codice sacro vittae pampineae, ut Ezech. 8, 17, *nam eheu אָהִ חֹטֶרֶת* pampinos faciei suae imponunt, id est, vittis pampineis idolatriam aperte profiteantur. Chaldaeus transfert: *Adducunt rem pudendam circa facies suas*, et Theodotion teste Origene et Hieronymo, ἐκτενέστι vel ἐκτενώστι τὸ κλῆμα; Talis corona sive vitra pampinea a Graecis dicebatur βάνχος, explicatore Hesychio T. I. p. 681. ed, Albert. *βάνχος — καὶ οὐλάδος ὁ ἐν τοῖς τελεταῖς οἱ δὲ σεφανον λέγεσσιν* sic enim legendum esse loco vocabuli φανὸν dudum monuerunt viri docti.

§ VI.

Coronas vuarum Hof. 3, 1 esse intelligendas, vincitur veterum quorundam interpretum consensu.

Veteres iam allegandi erunt interpretes, qui vel nobis consentiunt, vel commoda certe ad nostram sententiam reuocari possunt emendatione. Primo antiquos explicatores consulamus Cant. 2, 5: *סְמֻכָּנוּ בַּאֲשִׁישָׂת Inniti facite me herba luxuriante*. Quae verba Aquila sic conuertit: Σηργτατέ με εὐαγθῶν, νιτί με φαίνετε οεναντίς, vbi non intelligo flores labruscae de quibus agit Dioscor. 5 c. 2 et 5, sed herbam, quam retulit Plin. H. N. 21 c. 11 ad flores et corona menta, scribens: *E caeteris hyacinthus maxime durat, vt viola alba, et oenanthe, sed haec ita si deuulsa crebro prohibetur in semen abire. Nascitur locis tepidis. Odor idem ei qui germinantibus vuis, atque inde nomen. Add. c. 24, Theophrast. Hist. Plant. 6 c. 7, et Dioscor. 3 c. 135. Symma-*

B 2

chus

chus ἐπαναλίνεται με εν ἀνθει. *Fulcite me floribus.* Syrus rem magis quam verba exprimens habet, *reponite me στρυγματα in deliciis,* quod nomen τῇ τεῳ φῇ respondet Luc. 7, 25. Sed illae etiam veterum interpretum translationes sunt adducendae, quae commode emendari, atque ad nostram conformari possunt sententiam, quae nobis eo verisimilior videtur, quo probabilior Aquilae, Symmachii, Latini interpretis et Syri in exponendo codice sacro est auctoritas. Huc pertinent verba quibus Graecus interpres Hos. 3, 1 transtulit: Φλέσσι πέμπατα μετὰ σαφίδων, vel ut Alex. et alii codices legunt σαφίδων, amant coctiones cum uinis passis. Fortasse scripsit, Φλέσσι σέμπατα μετὰ σαφίδων, amant coronas cum uinis passis, id est maturioribus, a sole iam arefactis ne succum dimitterent, id quod gestantibus coronas molestum fuisset. Alias etiam σέμπατα et πέμπατα a librariis esse commutata testatur Iungermannus in Iul. Polluc. Onomast. I c. 1 l. 28 ad verba προσφέρειν — πέμπατα, σέμπατα, adscribens: "Πέμπατα in ms. non appetat: verum ibidem super initiale στ in σέμπατα alia manu positum est π." Tentandus mihi etiam videtur Gracius 2 Sam. 6, 19, ubi Dauid dicitur diribuisse populo singulisque viris et mulieribus singulas placetas panis et singula viatica, quae carnes fuisse potuerunt, ἀνθεσσάν et corollam unam, siue thyrsum unum. Laetitiae et gaudii publici causa addidisse videtur mihi Dauid coronam herbis floribusque plexam, siue thyrsum herbis floribusque vinculum atque ornatum. Thysii certe Hebreis praesertim in festo tabernaculorum haud fuerunt ignoti, iisque floribus vincti atque ornati, quos γυναικεῖον vocant Chaldae. Vid. Leu. 23, 40 et Nehem. 8, 15. Iosephus quidem Ant. Iud. 3, 10, 4 p. 115 ed. Hauercamp. commemorat Iudeos in festo illo Φέγοντας ἐν ταῖς χερσὶν ἐισεσθῶν μυρτίν καὶ ἵτας σὺν κεάδῃ Θονίνος πεποιημένην, τῷ μήλᾳ τῇ τῆς περσέας προσόντος. Ferentes manibus thysium de myrto et salice cum ramo palmae factum, malo etiam perseae

seae inserto. Add. Tho. Shaw Reisen, p. 309 ed. Lips. At Graecus conuertit, λάγανον ἀπὸ τηγάνης, laganum de sartagine. Fortasse scriplerat, λάχανον ἀπὸ τηγάνης, caulem de ruta. Rutam quidem ad flores et coronamenta pertinere testatur Plin. H. N. 21 c. 7, Hortensium, inquiens, odoratissima quae sicca, ut ruta et menta. Ergo in eodem loco Chaldaeus mihi itidem videtur a librariis esse deprauatus, qui transtulit, וְמִנְחָה דָּרָא et mentam unam, id est, thyrsum de menta. Latino etiam interpreti Hos. 3, 1 emendationis medela videtur esse necessaria. Is quidem habet: *Et diligunt vinacia vuarum.* Hieronymus addit: „Quae vina non habent, et pristinam gratiam perdiderunt, sicut daemones, qui lapsi de propria dignitate, et nihil antiquae gracie possidentes, aridi sunt et veteri siccitate marcentas. Vade pro vinaciis, quod Hebraice dicitur אַשְׁנָה Aquila interpretatus est παλαιό, id est, vetera, Symmachus ἀράγ-πτε, id est steriles, et non solum vinacia sunt, sed et vetera vinacia, ut antiqua delicta testentur.“ Sed vinacea proprie sunt grana sive semina, quae acinis celantur, de quibus Colum. 11, 2, 69 scribit: *Naturalis vuarum maturitas est, si cum expresseris vinacea, quae acinis celantur, iam infuscata, et nonnulla propemodum nigra fuerunt.* Illa vinacea vero plane hic non pertinent. Quid? si reddimus translationi Italae Latinum vocabulum *vinca*, quod Plinio epist. 2, 7, 15 reddidit Aldus pro *vinea*, ut in reliquis legitur exemplis. Aldus quidem illum Plinii locum sic exhibet: *Adiacet gestationi interiori circuitu vinca tenera et umbrosa nudisque etiam pedibus mollis et cedens.* Quae herba a *vinciendo* dicta sine dubio coronis nestendis temporibusque vinciendis est adhibita. Hinc aliud genus herbae dicitur *Vincaperuinka*, de qua Plin. H. N. 21 c. 11 f. 39, *Vincaperuinka*, inquit, *semper viret in modum lineae, foliis geniculatim circumdata to-*

piaia herba. Inopiam florum tamen aliquando supplet.
 Quod si in Vulgatis legas, et diligas *vincas vuarum*, mire
 consentient cum veritate Hebraica, atque intelligendae
 erunt lineae siue vincae vuis distinctae, quibus caput cinga-
 tur et coronetur. Librarii qui *vincas* non intelligerent, acu-
 ti sibi visi sunt, si scriberent *vinacea vuarum*. Nostrae senten-
 tiae etiam fauere videtur Symmachus, Theodosius, Vulga-
 tus et Hieronymus Ies. 16, 7, vbi propheta scribit: **שָׁנָה**
Ad corollas urbis solis meditabimini: Tamen sunt pauidi,
 qui videlicet solem colunt, eique sacra faciunt. In sacrificiis
 certe Apollinis corollas, thyrsos, siue **ερματα** esse adhibi-
 ta testatur Homer. Il. A. 14. 28. Propheta Iesaias in loco
 allegato calamitates Moabitis minitans, superstitionis eo-
 rum vanitatem atque idolatriae exitium ostendit, et in se-
 quentibus vitium lacerandarum atque eruendarum facit
 mentionem. Symmachus quidem habet: *τοῖς ἐνΦεωνεύ-
 οις ἐν τῷ τείχει τῷ ὄστρακνῳ Φθεγξαδε,* cum quo consentit
 fere Vulgatus et Hieronymus: *His qui laetantur super muros
 coti lateris, loquimini plagas suas.* Quis autem ignorat,
 laetitiae publicae signa olim fuisse corollas? Sed potuerunt
 etiam aliter legisse illi interpres, de qua re infra seorsum
 agetur. Theodosius contra habet *τοῖς ἀνχυάδεσιν, in squalore*
et lustu versantibus. Est videlicet et hedera, *quon voca-*
cant smilacem, quae fert racemos labruscae modo, *infausta*
omnibus sacris et coronis, quoniam sit lugubris — *id vulgus*
ignorans plerumque festa sua polluit, hederam existimando.
 Plin. H. N. 16 c. 35.

§ VII.

*Coronis vuarum, Hos. 3, 1, fauet cognatarum dialectorum
 conuenientia.*

Sed illud etiam demonstrandum est, non deesse nobis
 cognatarum dialectorum conuenientiam. Habent videlicet
 Arabes verbum **نَسْنَسْ** luxuriauit herba vel coma. Literam
 vero

vero ה תְּהִסֵּה, siue Se Arabum saepissime cum ש Hebreworum
comutari praecipitur a Grammaticis, v. c. a. Viro IN. I.D.
Michaëlis Gram. Arab. p. 11. Quodsi verba quaedam re-
quiras, in quibus permutatio illa facta sit, habeto ista vo-
cabula Hebraica: אַשְׁרָה. אַלְמָנָה. גַּדְעָן.
גַּדְעָן. גַּבְעָן. גַּדְעָן. שְׂמָנָה. שְׂמָנָה.

קָלְבָּן וּמְ^ל cum Arabicis sibi respondentibus conferenda. A
verbo illo Arabico אַתָּה nomen ducitur אַתָּה respon-
dents Hebraico חַיל Gen. 34, 29 et Num 31, 9, quo indica-
ri puto omnem ornatum virilem, cum armis et insignibus
saepe pretiosis, siue spolia. Arabico certe קָלְבָּן quod con-
uenit cum Hebraico חַיל idem est significatus. Graecus
quidem Gen. 34, 29 habet σάματα, sed quum neque
serui neque milites hic possint intelligi, qui cum re-
liquis maribus primo essent circumcisiti, deinde occisi, nos
quidem putamus, Graecum etiam hoc in loco a librariis esse
deformatum, eumque scripsisse τέμπατα, quae insignia eti: m
complectentur atque arma, quae Iunoni quoque tribuit
Virgil. Aen. 1, 20. In hac origine vocabuli טְשָׁאָס olim
consentientem mihi habui Vir. Ill. I. D. Michaël. in notis ad
Vir. S. R. Rob. Lowth de Sacra Poëf. Prael. XXX. not. 127.
p. 597 edit. pr. Sed posthaec, nescio quam ob causam, ad eos
concessit, qui πέμπατα praefерent, de quibus mox dicen-
di erit occasio. Sed commemoremus nunc eiusdem Viri
Ill. I. D. Mich. allegatorum locorum translationes. Gen. 34, 29
hoc modo vertit: "Auch alle übrigen Güter der Einwoh-
ner Sichems." Nos quidem praeoptaremus: Auch al'en
Schmuck der Einwohner Sichems. Idem Vir Ill. Num. 31,
9 habet: "Vnd übrig's Vermögen der Midianiter." Nos
transferremus: Vnd allen Schmuck der Midianiter.

§ VIII.

Placentae vuis passis conditae Hos. 3, 1 non sunt quaerendae.

Incommoda tandem atque incongruae reliquarum interpretationum rationes sunt commemorandae, quae expositiones ita sunt comparatae, ut vel non omnibus locis, in quibus שׁבָּשׁ וְשַׁבָּשׁ reperitur, explicandis inseruantur, vel in reliquis dialectis origine probabili careant. Primo loco afferendus est ille antiquus error a librariis in Graeco interprete Hos. 3, 1 commissus, qui propterea reperiatur in ipsa Graeca translatione, 1 Par. 16, 3, ἐγένετο ἡ ἔβα δέρπινον καὶ ἀροείνην, panem unum pistorium et mellitum, ac praeterea in Vulgato, Syro, Ephraemo Syro, Cyrillo Alex. Theodoreto, et Arabe, qui omnes Graecum sunt sequuti, ut ergo eorundem assensu huic explicationi nihil nouae accedit auctoritatis. Vulgatus 2 Sam. 6, 19, et 1 Par. 16, 3 habet: *Similam frixam oleo.* Syrus habet, דְבוֹשָׁא רַאֲפַשְׂתָּא placenta vuis passis conditas. Ephraemus Syrus adscribit: הִי חֶדֶא שְׁבָקָא חֹות טֻמָּא טְבָא דְּלִילְפָנָה דְּלָהָא הֵו: דְּעַלְיָ וְסָם בְּהַנְּאַזְחָה מִן חַלְיוֹתָא "Gentem Israëliticam perdidisse gustum bonum doctrinae diuinae, quae ob utilitatem melior praestantiorque fuerit dulcedine faui." Cyrillus Alexandrin. addit: Ποπανά πτε τάχα καλ φελιττύτας προσεκόμιζον γαρ εἰς θυσίαν τοὺς δάμφυστος τὰ τοιάδε πέμψατα. Placentulas fortasse et panes mellitos: tales enim afferabant in sacrificiis loco daemonicis. Theodoreto adiicit: τοιάυτα δὲ τινα κατασκευάζειν ἐνώθασιν οἱ τοὺς εἰδάλους ἀνανείμενοι. Tales placentulas parare solebant idolorum cultores. Arabs habet: أَلْمَلْمَهُوتَاتَ تَسَعَّدَ مَسَّامَةَ vuis passis conditam. Eandem significationem affinxit huic vocabulo Chaldaeus recentior, צְפָרָה lagatum Exod. 16, 31 עִזְשׁוֹן convertens. Isaacides etiam ad Cant. 2, 5, placentulas intellexit, siue de vuis, siue de simila purissima, quibus aegroti resicerent ac recrearentur. Huic opinioni etiam adstipulatus est

est Io Drusius ad Hos. 3, 1 adscribens: “**וַיְשָׁאֵל מִנְפָּתָר**, tanquam ab **וְאַ** ignis — Alibi reddunt **בְּעִזָּה**, vnguentis, Cant. 2, 5, sed puto legendum **בְּעִזָּה**. Nam **אַמְּרָה** placenta, panis mellitus vel dulcarius, qui et **אַמְּרָה** **אֶת-**
תֹּאֲ. Sed nonne illis cupediis atque vuis passis poterant
vefcī etiam sine idolorum cultū? Itaque haud ob placentas
vuis passis conditas idolatriae studebant Israēlitae, sed ob
sacrificia et coniuicia, in quibus corollas illas gestarent, ea-
que cum fornicationibus coniunctissima, quibus populi sui
foecunditatem et copiam vehementissime auctum iri opinar-
rentur, cuius rei vero contraria mala grauissime minatur
idem propheta, Conf. 2, 13-15. 4, 10-14. 9, 11-17. 10, 1.
Praeterea placenta vuis condita non magis commode recre-
antur homines aegroti, Cant. 2, 5, quam Ies. 16, 7 ad ean-
dem placentam lamentantur homines miseri ac victi, ac
tantum abest, vt credibile sit 2 Sam. 6, 19 et 1 Paral. 16, 3
singulis panibus, singulisque viaticis, quae carnes esse potue-
runt, additas esse singulas placentas vuis passis conditas: vt
maxime peruersa haec donorum coniunctio nouo occasionem
dederit errori, de quo mox agemus. Sed faciamus **וַיְשָׁאֵל**
coctionem siue placentam significare, quaenam tum esset
origo Hebraica? Io. Drusius quidem, vt modo indicauimus,
deducit ab **וְאַ** **igne**, quae vocabuli derivatio quum non
satis apta videretur viris doctis, b. l. E. Faber in Descriptio-
ne Commentarii in Septuaginta Interpretes P. I p. 6 aliam
protulit. Opinatus est scilicet, compositum esse vocabu-
lum **וַיְשָׁאֵל** ex Arabicis **וְאַ** **panis** et **וְאַ** **לְאַ** **quod nomen**
significat **vias** quasdam albas, praestantissimis passis inde
confectis nobilitatas, quae vocis conformatio certe multo
magis repugnat rationibus grammaticis, quam illa, quam
ibidem improbat, Viri S. R. Boysenii, qui **וַיְשָׁאֵל** deducit
non ab **וְאַ**, vt male ibi scribitur, sed ab **וְאַ** **mollis fuit**,
quae multo esset probabilius, si ipsa significatio, **iuscum**
molle ex vuis paratum firmioribus niteretur veterum inter-

XVIII

pretum testimoniiis, et commode ad explicanda, in quibus reperitur, loca, posset adhiberi.

§ IX.

*Nomen אֲשֵׁשׁ non commode per lagenam explicari,
ostenditur.*

Modo monuimus peruersam donorum coniunctionem 2 Sam. 6, 19 et 1 Paral. 16, 3 factam ab interpretibus, novo occasionem dedisse errori, quam rem belle propositam esse puto a Clerico ad 2 Sam. 6, 19, adscribente: "Cum nulla sit "ratio ex ipsa voce petita, quae ostendat ea significari lagenam, aut similam oleo frixam, malui sequi recentiores, "qui lagenam verterunt, quia superiora sunt cibi." Eodem modo ratiocinatus est Syrus interpres in transferendo Gen. 45, 23. Ibi dicitur Iosephus misisse patri suo בָּר וְלֹחֶם וּמוֹזֵן frumentum et panem et escam. Syrus haud contentus e bus tantum commemorari, sic conuertit: Frumentum וְסִמְרָא et vinum et alimenta. Neque mirum est, Iudeos saepius de potu et vino cogi asse, qui conuiuio iustum omnibusque numeris absolutum משַׁהָה sive compotationem appellarent. Isaiae ad Gen. 45, 23 testatur, Talmudicos doctores iam in ea fuisse sententia, vetus vinum a Iosepho patri esse missum, sed retulisse illud ad bona Aegypti, quorum in eodem segmento mentio fit. Eodem modo argumentatus est Graecus, Symmachus et Theodotion, Hos. 3, 2. Nam pro vocabulis וְלֹחֶם שָׂעִירִים dimidio hordei Chomero, Graecus et Theodotion substituunt καὶ νέθελ ὄντα, Symmachus καὶ ἀτράπη ὄντα, et utre vini. Ex quibus exemplis satis appareat, significatum lagenae nomini אֲשֵׁשׁ afflictum ingenio deberi Iudeorum, qui cibis etiam potum adiciendum esse opinarentur. At ponamus 2 Sam. 6, 19 et 1 Par. 16, 3 lagenam significare, tum scriptor Lacer vix potionis genus omis-

omissurus erat, populo illis in lagenis offerendum. Idiom-a enim linguarum orientalium non patitur, ut tam praef-
cise loquantur qui illis viuntur, sed scripsisset auctor diui-nus plene רַיִן אֲשֵׁת *lagenam vini*. Eadem ratione
idem scribit i Sam. 26, 11. 12. 16, אֲפָחַת הַמִּס *ampullam aquarum*. Similiter Amos. 6, 6, בְּמוֹרֶק *phialis vini*. De-
inde Hos. 3, 1 non nisi coacte dicerentur *lagenae vuarum pro lagenis vini*. Sed videamus quinam sint auctores huius ex-
plicationis. Chaldaeus abiens in alia omnia ad hanc senten-tiam inclinare videtur teste Io. Marckio transferens: "Sed
"si reuertentur, remittetur illis, atque erunt similes viro
"qui errauit et dixit verbum in vino suo." Nam
eodem auctore in comment. ad h.l. p. 38 "male hic in qui-
"busdam codicibus legitur in socium suum." Ei-
dem opinioni fauere videtur Graecus ἐν μέρεσι, vnguentis
vertens, quem sequuntur Arabs et Aethiops, nisi quis ma-
lit hos interpres oenanthinum respexisse, de quo agit
Dioscor. i c. 57. Dubia est auctoritas Syri, qui ipse illu-
stratione eget, vertit enim 2 Sam. 6, 19 חַד וּמִנְרָק *quod vulgo interpretantur crustum, placenta, alii significare pu-tant cupam farinae.* Bar Serushai, Lexicographus, vt pu-tat Castellus, citatus in Dictionario Syriaco Bar Bahluli *cali-cem vini* interpretatur. Ipse Arabs, qui Graecum alias se-
quitur, 2 Sam. 6, 19 secundum Serushai sententiam, inter-
polatus videtur, scribit enim *et calicem vini*, i Par.
16, 3 vero haec vocabula plane omittit. Isaacides ad Hos.
3, 1, cum Menachemo interpretatur צְבֻעֵי *scyphos vini*,
atque טַשָּׁא ad Chaldaeorum ac Syrorum שָׁשָׁ *marmor,*
alabastrum, retulisse videtur. Kimchius. ad 2 Sam. 6, 19
hanc veterum sententiam esse dicit, quemadmodum et
Gersonides et Melechides cum Iesaiā minore, atque ea re
indicare videtur illum *lagani* significatum esse recentiorem.
Idem Kimchius Hos. 3, 1 adscribit: "Amauerunt oblecta-
tiones saeculi, et desiderium eorum fuit הַיִן *po-*

“tatio vini.” Idem ad 1 Par. 16, 3 opinatur הַשְׁמָאֵל esse vnam de sex partibus Hin, sive duos Logos: forma autem masculina Hof. 3, 1 significare scutellam. Abrahamus ben Ezra ad Ies. 16, 7 intelligit lagena vini, hancque opinatur subesse sententiam, eos fore pauidos, si meminissent, dies laetitiae mutari in eiulatum. Sed in oppido diruto a militibus victoribus lagenae vini non magis relictæ esse videntur quam placenta vuis passis conditae, corollæ contra et thyrsi facile relinquì potuerunt. Idem ad Hof. 3, 1 nomen יְהוּ אֶלְעָד omisum esse opinatur, post שְׁמָאֵל lagena vini vuarum. Ad Cant. 2, 5, quasi scenæ illi interfuerint, annotat מִתְּשִׁוָּת fuisse vasa זְכֹרְתָּה vitrea plena vino. Melechides ad Hof. 3, 1 horum vestigia sequutus iam liberius errat. Ex sensu videlicet satis patere ait, quae desint. Sic ergo explicat בְּנֵי אֶשְׁשָׁי עֲבָדָיו lagena repletas vino vuarum. Sunt lagena in quas conditur vinum. Idem ad Cant. 2, 5 אֶשְׁשָׁה explicat per utrem vini. Illud mirandum est, Grotium ad Cant. 2, 5 et Vitrinam ad Ies. 16, 7 huic recentiorum facere opinioni.

§ X.

Quidam opinati sunt אֶשְׁשָׁה in codice sacro esse fundamen-tum.

Sed diuersitas opinionum in vocabulo hoc explicando, vt in verbis rarioribus ac difficilioribus fere fieri solet, identidem est aucta. Fuerunt enim viri docti, qui opinarentur, שְׁמָאֵל esse fundamentum, a verbo Arabico שָׁמָן fundamen-tum designavit. Syrus quidem Ies. 16, 7 posuit super אֶשְׁשָׁה fundamentis muri. Edmund. Castellus in Lex. ad hoc no-men adscriptis, turres moenium, parietes. Sunt vero fun-damenta potius, quemadmodum אֶשְׁשָׁה Jer. 50, 15. Eiusdem haec nomina sunt originis ac שָׁמָן Arabicum. Geminantia enim secundam saepe pro radicali tertia ponunt literam

literam debilem sive quiescibilem. Sic cognata sunt verba
 מִלְחָמָה et מִלְחָמָה, דָּרְחָה et דָּרְחָה, זְכָרָה et זְכָרָה, נְגָדָה et נְגָדָה, לְכָה et לְכָה, וְכָאָה et וְכָאָה, פְּנַתְּחָה et פְּנַתְּחָה, חֲבָבָה et חֲבָבָה, צְהָחָה et צְהָחָה, שְׁגָגָה et שְׁגָגָה, שְׁגָגָה et שְׁגָגָה rel. Isacides Ies. 16, 7 declarat per הַוּמּוֹתָה על super muris, et conferri iubet Ier. 50, 15. Kimchius ad Ies. 16, 7 interpretatur per הַיסּוּלּוֹת fundamenta, atque intelligendos esse ait optimates ac principes Moabiticos. Quibus assentitur Golius ad verbum שְׁגָגָה in Lex. Arabico, et Vir S. R. Struensee Ies. 16, 7 vertens: "Auf den Ruinen von Kitheres werdet ihr wimmern." Sed neque haec interpretatione nominis שְׁגָגָה in reliquis, in quibus id reperitur locis, commode adhiberi potest, id quod cuius loca illa comparenti clarissime patebit.

§ XI.

Variae quaejam lectiones adduntur cum Epilogo.

Facile intelligi potest, vocabulum rarius ac difficilioris expositionis variis etiam tentatum esse lectionibus, quarum quasdam subiiciemus. Graecus et Chaldaeus Ies. 16, 7 οὐδὲν λέγειν aut ἀνέκαθισται, ex Ier. 48, 31 legisse videntur, ille enim transfert τοῖς κατοικοῦσσι, habitantibus, quem Arabs imitatur vertens לְבָנָה וְלִשְׁבָתָה atque incolis: hic autem שְׁגָגָה super viro. Nam nota Iac. et Isaac. Abendanae, qui ab שְׁגָגָה dictum esse opinantur, ut יְקִירָה et אֶרְמָדָה a suis radicibus, grammaticis rationibus plane est contraria. Symmachus, Vulgatus et Hieronymus ibidem לְמִשְׁבָתָה legere potuerunt, vertunt enim τοῖς ἐνθανομένοις, his qui laetantur. Aquila Ies. 16, 7 in exemplari Hebraico reperiisse videtur לְשָׁבֵת transfert enim τοῖς πολυχρόνοις longaeuis. Aquila et Symmachus Hos. 3, 1 eodem modo שְׁגָגָה legerunt, hic enim conuertit ἀνάπτωσις, steriles, ille autem παλαιὰ, vetera. Auctore Montefalconio Theodotion Ies. 16, 7 legit לְעַשְׂרָה tabe-

tabescentibus vertens τοῖς ἀνχυώδεσσιν in squalore et luctu versantibus, de qua translatione supra egimus. Nouam plane atque inauditam expositionem dedit V. C. Waltherus, Ies. 16, 7: "Seufzen über die Süßen Weintrauben zu Kir "Heres."

Itaque expositis plerisque plerorumque interpretum sententiis literarum Hebraicarum periti iudicent, num Hos. 3, 1 recte conuertamus, *vuarum amant coronas.*

Illa vero nunc addenda sunt, quorum causa hic libellus est conscriptus. Quum enim nuper et ciuitas nostra, et in primis res literaria, magno suo ornamento b. D. IO. SEBAST. ALBRECHTO, dum viueret, in Ill. Gymnas. Casimir. Acad. Philos. Nat. P. P. O. Ruris Coburgensis Physico atque Academ. Imperial. Nat. Curios. Adjuncto pro Franc. Oriental. esset orbata, auspiciis SERENISSIMI DVCIS ERNESTI FRIDERICI, PATRIS PATRIAEC INDVLGENTISSIMI, quem cum DOMO SERENISSIMA Deus diligat ac fortunet, nec non sapientia Perillultrium huius Gymnasii Curatorum, Vir Praenobilissimus, Amplissimus, Doctissimusque HERM. GOTTL. HORNSCHVCHIVS in eius locum est suffectus, quam rem prospere nostro cessuram esse Gymnasio laeti auguramur,

Vir igitur ille Praenobilissimus muneri commemorato in Ill. hac Musarum sede obeundo destinatus a nobis hodie inaugurabitur, atque illud oratione habita publice auspicitur, quem morem sollemnem ut sua praeſentia

DVX

DVX SERENISSIMVS ERNESTVS FRI-
DERICVS, ALTOR huius Gymnali INDVL-
GENTISSIMVS,

DVX HAERES SERENISSIMVS, PRIN-
CEPS IVVENTVTIS CLEMENTISSI-
MVS, EIVSQVE

PRINCEPS FRATER INDVLGENTIS-
SIMVS,

reddant augustiorem, reique publicae nostrae Proceres cum
literarum Fautoribus atque Amicis eundem condecorent
omni animi demissione, obseruantia et humanitate roga-
mus. Vos autem, vtriusque coetus Ciues Carissimi, Vestra
Vestro satisfaciens officio frequentia ac modestia, atque
has caerimonias sollemnes bonis faustisque prosequemini
omnibus. P. P. e tab. Casimir. a. d. XXIII. Nouembr.
MDCCLXXV.

XIII

DAK SBRGENISSIMVS ERNSTATVS LTR

PFENICAS, ATRATOR misa GADALI INDAT

CHINTISSIMAS,

DAK HABENS SBRGENISSIMAE PRIN

CESSE IAUENIATIS, CLEMENITIS

M/2 ELASCO

DAK HABENS SBRGENISSIMAE PRIN

CELESTIS, CLEMENITIS


Id 6020

(I):

X 2284726

v318

Mr.



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Yellow

Green

Magenta

Red

3/Color

Black

Blue

Cyan

Yellow

Green

Magenta

Red

3/Color

Black



Q. B. F. F. F. Q. I. E. D.

PRAEMISSA

ALIQUOT HOSEAE PROPHETAE
LOCORVM EXPOSITIONE

CAERIMONIAS SOLLEMNES

HERMANNI GOTTLIEB
HORNSCHVCHI

IN ILL. GYMNAS. CASIMIR. ACADEM. PHYSIC
ET MEDIC. P. P. O

FORTVNANTE DEO T. O. M

A. D. XXIII. NOVEMBR. MDCCCLXXV

FELICITER IN AVGVRANDI

INDICIT

IO. CASIMIRVS HAPPACH

SER. DVC. SAX. COBVRG. ET SAALF. A CONSIL. SANCTIOR
ILL. GYMNAS. CASIMIR. ACAD. DIR. ET THEOL. P. P. O

a.

COBVRGI
EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA